

F W B

A N N O

1 6 8 0



H
oott

W. Nr. 3-95.

Crooning

mehr Männer pläzen
zum 2-20. 23) den Wert von
ein Landgrafe Land f. Hessen-Cassel
zur Kirche bet.

I. IV. 44.




MANES
ROBERTI
BELLARMINI


Polit. Cardinalis olim purpurati, &
Soc Jes. Theol. in Colloquio, novissimè à Valeriano Ma-
gno Capucino Monacho, cum D. Haberkorn & Theol.
Gießensibus Reinfelsæ habitò irritati, Valeriano
dira quævis imprecantur.

Audivit & vidit hosce Bellarmini Manes

JOHANNES HENRICUS SEIPIUS,
Gießâ Hassus.



Anno M. DC. LII.





MANES

ROBERTI BELLAR- MINI POLITIANI, CARDINALIS, olim purpurati, & Soc. Ies. Theol. in Colloquio novissi- mè à Valeriano, cum D. Haberkornio & Theol.

Gießensibus Reinfelsæ habito, irritati, Vale-
rano Magno Capuccino dira quævis
imprecantur.

<i>Valerianus Magnus.</i>	<i>Robertus Bellarminus.</i>
<i>Ego meam autoritatem</i>	<i>Quare inquietasti me, ut</i>
<i>oppono tuæ.</i>	<i>fuscarer?</i>

EM P U S annorum aliquam- multorum effluxit, quo Ego R. B. P. fato inevitabili, purpuream tiaram meam, quam capiti meo à Pontifice Maximo impositam, ob insignem, & ad miraculum usque excellentem eruditionem, quâ præ omnibus, quotquot in vivis unquam fuerunt, eminentibus Cardinalibus eminentissimus omnium cluebam, dignissimus gestabam, successori meo cessi; quo mole corporis terræ commissâ, animam purgatorio (quod quamvis apertissimum figmentum ex Æneid. 6. quoniam culinis nostris utilissimum deprehendebatur, contra omnes, id negantes, acer- Virgil.
rimè, prout omnem Religionis suæ rigidum defensorem decet, Erasm.
defendi) Propediem (nunquam enim, quod quidam scribit,

A 2

huic

huic diutius inesse optārā) prece devotā sanctorum viventū, inde vel eximendam, vel à primo separationis momento, in paradisum cœlestem promovendam, commendavi: Cui quidem me, omnis generis bonis operibus, in lege divina, sub gravissima æternæ exterminationis pœna, præceptis, optimo juris titulo, tanquam condigno debito obedientiæ meæ, Deo meo præstitæ, insinuare poteram: (Neutquam enim inferno, quem scio non nisi incredulis, Judæis, paganis, Hæresiarchis, Biblistis, Anabaptistis, Calvinianis, Arrianis, Mahometanis, aliisque plus mille improbis verbi divini contemptoribus, vineam Christi vulpino more & ore vastantibus, & haud immetitò, paratum; Ego ceu veteranus veteranæ Ecclesiæ Romanæ propugnator & miles constantissimus eam tradere & commendare necesse habebam. Hucusque igitur corporis alto somno tot annos sopiti manes tranquillitate eâ, quam pij quivis precabantur, fruebantur, donec infelici hoc anno, à nescio quonam Valeriano, Catholico licet, eandemque fidem mecum professo, irritati, turbati, superis inferisvè evocati, contumeliis affecti, ad excusationem sui, inquietati stimularentur, (non enim conveniens erat, eum, cuius autoritas viventis omnibus, mortui plurimis, maximi semper fuit habita, eum, qui Ecclesiæ suæ vindex semper audiit dexterimus, adeò vilescere & Monacho Capuccino postponi:) Tu igitur Valeriane Magne, quisquis sis, bonâ pace tuâ noveris, te indignum, qui isthæc contumeliosa verba, ore tuo fallaci, in me, divinis forsitan gaudetem bonis, taleque nihil quicquam merentem, & in ipsam Ecclesiam Romano-Catholicā injurius evomeres, neque enim puto, ed fastigii pervenire sophistificationibus tuis, fallaciis tuis, verbis-que speciosis tuis, meruisti, quò ego! Tune igitur ed audaciæ præcesseris, ut tuam autoritatem meæ præpositam velis? Et an ego nihil ad te? Evidem ego, quod non diffite or, isthæc in aurem tibi susurrare debuisse, ne iram & invidiam Catholicorum, derisum & contemptum protestantium in te concitarem, neve Ecclesia Cathol. magis Bellarmini, quam tui autoritatem faciens, detrimentum pateretur, si enim (absit verbogloria) ille adversariis obturare non valuit, quò minus tu: Ego Bellarmi-
nus,

nus, vir infinitæ lectionis & incomparabilis eruditionis, attestantibus id Protestantibus, si quando contingebat, ut in arenam disputationam concederem, partes Catholicorum masculè tuitus sum, tu ut cum commiseratione invitus audio, interdum ad dicta Scripturæ, ad adducta ex SS. Patribus testimonia confusus siluisti, linguaque satis aliâs loquax, funiculo quasi ligata, verba facere desuevit. Ego sententias meas, ex sacra Scriptura, ex S. Patribus, rectâ ratione, divino testimonio & humano, pro virili cōfirmare conabar; Tu spinosis rationis argumētis nudus, nullis Patrū vel paucis admodum & ad rem omnino nihil facientibus testimoniis instructus incedis; Ast quò tandem paupertate tuâ per venturum te putas? Hisce tuis, è cerebro tuo proficiscentibus consequentiis, partim ridiculis, partim insulsis risui, vereor, & derisi te omnibus, quotquot Scripta legere contigerit, expositus es: Multa certè animum meum subit miratio, nonnullos reperiri, qui tibi respondere laborant, ubi non est opus, fulgur expelvi, parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Disputas cum Theologis, non tamen Theologicè, proponis rationes Philosophicas, non tamen Philosophicè, ut ferè ambigam, utrum Theologi, an Philosophi, vel quod vero similius est, neutrius titulo insigniendus venias: Solent, debent etiam Theologi fidem è scriptis Θεοπνέουσι proponere, Tu ne unicum in tot sermonibus allegas dictum Biblicum, idque consulto facere videris: Cùm tali Doctore, qui verbis duntaxat philosophatur, Chrysost. nihil sit frigidius, neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis & hypocrytae. Indocti & jam plebeculam indoctam & vilem lingue Hieronym. volubilitate decipere: Philosophiest, formalí aliquâ consequentia opinionē suā stabilitate, tu etiā aliā ab omnibus, tuni à mea, quamvis ad fallendū cōmodiorem, in differendo adhibes methodum, talem puta: Major est frustra: Minor est frustra: Conclusio nulla. E. Valerianus M. Bellarmino succedit, ad Cardinalatum evehendus! Sed hæc omnia tu surdis auribus, oculisque cœcientibus: Videris tamen mihi Valeriane, me suasore, ne, dum aliis capiendis nimis intentus es, ipse met aliquando capiaris, rumor jamdudum aulam Romanam invasit certissimus, testa-

tione prius relictâ , in protestantium castra transiit ; oritur autem (sic conjicio) fama exinde , quod te regeneratis Catholicis majorem facis , quibus te longè infetiorum scis , & quod aulam Romanam , erroribus & moribus vitiosis obnoxiam , veluti monstrorum ille domitor Hercules , Augiae stabulum , repurgandam tibi præsumis ; Res , quam aggrederis , ardua est , pedes nudi , ô quoties illisuri sunt rupi Tarpejæ ; quique huic præsidet , Jupiter Maximus , artem tonandi , fulminandi que nondum dedidicit : Egomet , quod remissionem peccatorum verè credenti per Christum fieri docueram , à Concilio Tridentino fulminabar ; Papa Gelasius , quod subtractionem calicis

*Conc. Trid.
Can. 13.*

Id Conc.

sess. 5. Can. 2. grande sacrilegium dixerat , anathemate feriebatur : Concilium Conc. Const.

Gangrense , quod , approbato inter Clericos conjugio , cœlibatum dissuaserat , erroris damnabatur : Pater Lyra , quod fidem in

Cens. Colon. Franc. Coster. Innocent. Pigh.

Christum , sine legalibus sufficere crediderat , ut & novissimè Lutherus , quod idolatriam & indulgentias improbaverat , hæretici pronunciabatur ; Dixi tibi : Cæterum missâ factâ hac conten-

tratione , (scilicet dedecet consentientes & unitatem fidei sui toties crepantes dissentire) non iniquo latus es animo , quod te Pamphili , nunc nomine mutato , Innocentij X. innocentem emissarium , disseminandæ & latius propagandæ fidei Roma-

næ ergò , Germaniam obambulante , in paucis quibusdam consulam , (apud te enim nun temporis , vel ut audio , sicut olim apud Esdras vel Helkiam Biblia , ita regulam credendi , cre-

denti parum proficuum , invenire est .) Paucis antè diebus res mihi erat , cum Biblista quodam laico (novus terminus) quem , ut ad avitam Romano- Catholicam Religionem reducerem ,

omnem lapidem movebam , suadebam ei regulam tuam cre-

dendi , nolebat tamen persuaderi , repudiabat , prætendens , sibi multò tutiorem viam & faciliorem credendi regulam inno-

tuisse , eam scilicet , quam Christus Pastor & Sacerdos summus , cui oves maximè essent curæ , juveni illi sciscitanti , rei-

que hujusce cupido præscripsisset , normam scilicet verbi Dei infallibilem , quem non Synodo Hierosolymitanæ , traditioni-

bus Judaicis , & earum Doctotribus , Pharisaïs , Essæis , Saducæis , alijs-

aliisque cathedram Mofistum temporis possidentibus remisit, *Matth. 22.*
 hisce verbis : *Quomodo legis? Wie liesest du?* Indignabun- *Luc. 10.*
 dus porrò in hæc verba erupit , devovens diris , quicunque se-
 cussuaderent, & aliam credendi regulam , præterquam mo-
 dò dictam , vulgo incauto inculcatam vellent , Anti-Christos
 eos , vel saltem ejusdem prodromos dictitans. Legerat in con-
 firmationem opinionis suæ epistolam Gregorij 2. Papæ ad Jo-
 hannem Episcopum Constantinopolitanum , quæ hæc inter a-
 lia continet verba : *Regem superbiæ præstò esse, eiq; exercitum sa-*
cificulorum, operas suas ei locantum, qui se extollit super omnia,
saginari; Legerat autorem oneris Ecclesiæ Pontificium , Pe-
 lagij & Gregorij 2. Paparum epistolas. Illum autem super o-
 mnia se extollere sibi videri , quicunque verbo Dei , falli ne-
 scio posthabito , traditiones Pontificum & decreta vel æqui- *Matth. 15.9.*
 parare vel etiam præponere cupiat , sibi enim dictum esse
ἐγενέτης γε φασιν, sibi documento scriptum esse *Berrihoen-* *Ioh. 5. v. 39.*
sum in sacris scrutinium: periculosem deniq; nimis esse, à verbo
 Dei latum etiam unguem recedere , & hanc fuisse Diaboli frau- *Act. 17.*
 dem primam, hominibus illud contemptum & vile objicere; *Luc. 16.*
 Siceum decepisse Eym, sic Adamum , explicationem verbi Dei, *Esa 8. v. 20.*
 quam à serpente Eva edocta fuerat, verbo Dei spredo, credulum *Deut. 12.*
 arripiendo, totum confusionum omnium chaos in orbem inve- *v. 32.*
 xisse : Nec valere Scripturam esse obscuram , cùm decreta Pon-
 tificum multò sint obscuriora , adeò ut aliis hunc, aliis alium
 sibi finixerint sensum , se igitur certiorem viam vadere nul-
 lam, præter à Christo juveni illi fidelissimè præmonstratam,
 ratus est : Ego illi contra ; vade vias tuas, qui extra Romanæ
 Ecclesiæ semitam , cum magno tuo exitio , devius errabis : *Non Auguſt.*
enim habet in cœlis Patrem, qui non habet in his terris Ecclesiam
matrem.

Quasi verò ? (Laicus ille) annon putas Romanam ? Forsan
 hâc motus ratione ; quia autoritate ejus sacram scripturam de-
 serente, ea tantum valeret, quantum fabula Æsopi : Et quia Verbo *VVolfg.*
Dei non est credendum, nisi interposito iudicio Pontificis Ecclesiæ Ro- *Stapler.*
mancæ autoriativo, quieidem, velut navi nauclerus, sol cœlo, tan-
quam

Trident.
Sess. 5. C. 2.
Dan. 7.
Carerius.

Valerian.
S. Bernh.
Bell.

quam Gubernator Generalissimus , dispensator mutator^g₃ Sa-
cramentorum temporum & legum præst ? Cui aliquid definiendi
credendum sit, sive verum esse constet, sive non, hoc ipso, quod in auto-
ritate positus sit ; Egregiam verò, sed sublimem nimis, solito &
æquo majorem autoritatem hominis fallacis & impurissimi in-
terdum scurræ ? Annon enim hoc est extolli super omne, quod
dicitur Deus ? An igitur magis credendum est Papæ, quam verbo
Dei ? Annon hoc est majorem Ecclesiæ autoritatem , quam
Scripturæ addere ? Et an ejusmodi morata Ecclesia non sit adul-
teria facta, à quâ necessariò facienda erat secessio, & omnimoda
inchoanda reformatio , in qua supersticio referente Valeriano
Monacho fuit, ad scandalum orbis usque consentiente in id sancto
Bernhardo, qui suo tempore eam abusus , quos ego Bellarminus
mitiore vocabulo *errores* appellavi. Quibus à Laico auditis,
mens mea ad indignationem consurrexit, non enim Ecclesia, ad
quam tu aberrantes reducere laboras, superstitiosa erat indigi-
tanda , aget enim Deo gratias humilimas quilibet & quilibet,
quod ex hac liberati , sine superstitione Christianie esse possint.
Meo tempore talis fuisses , vel libros saltem meos legisses, nulli-
bi invenires , me adeò indelebiles Ecclesiæ, suo me foventi gre-
mio, aspergisse maculas, neque enim me latebat flagitiosissima
belluinaque Pontificum vita , non hæreses , non incantationes,
non immania in sui contemptores odia & homicidia , non eorū
mutuae inimicitiae, non eorum contraria decreta , quando
alius alium pro hæretico proqué infam i habuerunt : Sic ut scias,
me scire ; Stephanus sextus in defuncti antecessoris Papæ Formosi
ossa sepulta furere non veritus est , dum ea effodienda, amputatis prius
duobus de manu digitis, inq^g Thybrim projicienda jussit. Qui ta-
men homicida facinoris sui pœnas luit , dum à successore Pap. Ioha.
10. crematus fuit ; Sic Bonifacius 7. Iohannis 15. oculos erutos vo-
luit. Si etiam Papas hæresiarchas, Anastasium Arrianum, Iohan-
nem 23. resurrectionem non credentem, Eugenium 4. Si prostibulum
illud Agnem, Iohan. 12. Iulium 3. Pium 4. minimè pium, in ipso rei
venerea exercitio suffocatum , si incantatores, Sylvestrum 2. qui cum
Diabolo fædus pepigisse creditur. Gregorium 6. Alexandrum 6. cui
Sanna-

Sannazar epitaphium scripsit: Si dissentientes duos Antipapas, uno tempore regentes, alterum alterius decreta damnantes. Tres anno 1413. Papas, Iohannem, Petrum de Luna, & Gregorium in se invicem latrocinio, veneno & gladio servientes, si uidem Papas Honorium 2. Nicolaum 1. Clem. 6. & 7. per suos, Episcopum Aurelianensem, Episcop. Florent. Aventinum Platinam, Episcopos, Colonensem & Trevirensim, pro Antichristis declaratos, in amplissimum hoc mundi theatrum, notos quidem, iterum producere, & ab inferis revocare vellem, quid aliud agerem, quam proprium nudum conspurcatum irem, maleigitur, incogitarer, inconsideranter agit, quicunque fidem suam, quam aliis persuadere studet, superstitionem palam profitetur; sic enim non secessionem improbare potest, quis, nisi insanè mentis homo, cum superstitione, in Religionis negotio, salutem concernente, scienter & volenter communicando jugum traheret, unde præsentissimum exitium imminere sibi cerneret? Non enim imprudenter, meò quidem judicio, acturus est, qui cum combibone, veneno vinum potirio suo, infusum admissente, bibere & participare recuset? Nec de ulla injuria sibi inde contemptum illata, ei conquerendum, cum puro nulloque veneno infecto vino alter se recreet: Absit ergò venenum & fiat utriusque calicis communicatio, quod si secus, querimoniæ nullæ de recusatione & secessione renuentis fuerint agitandæ. Sic tu ejusmodi superstitionis potiriorum protestantibus præbibis, cui tamen respondere non tenebuntur, tutius enim foret secedere, quam cum periculo corporis & animæ malo modo, in sui ipsius contemptu, inficiendæ, manere; Sic ego non affectus erā qui quocunq; colore, quo cunq; modo quibuscumque etiam mediis poteram superstitiones, abusus erroresque meorum palliabam, partim civiliter excusando, partim protervè negando, partim vero historicis caute dicam scribendo. Sed hæc tum temporis: Nimirum hi sunt (sed tibi in aurem) infallibilis illi controversiarum Judices, Petri successores certissimi, Christi vicarii laudatissimi.) Ignosce, quæso, verbis furorem sapientibus, male enim me habet, quod ab hoc hominum genere, quorum rem animo imperterritu atque ad mortem

B

mortem

mortem usque adeò constanti, agebam, anathema pronunciatus fuerim, hoc est, quod bilem ciet, hæc igitur est gratia, quam nunc refero : Ego meliora meditatus, cum laico ferè præ-memorato sentio, nisi tu scrupulos quam primùm exemeris. Unum ad-huc supereft, quod penè exciderat; Te è laico cognovi statuisse, primatum Petri ex scriptura nullibi probari, cùm in hoc stabiliendo totus insudaverim: Parum igitur abest, quin tecum expostulem, tibi que verus adagium in memoriam revocem: *Senes bis pueri: An ergò fortè ad manus non erant Biblia? Suggestissimam tibi, si impræsentiarum fuisset, loca Scripturæ lucidissima.* Joh. 21. v. 16. Actor. 20. v. 28. 1. Petr. 5. v. 2. Actor. 16. v. 18. Annon enim traditio clavum, tertio iterata commendatio o-vium Christi, Petro & successoribus facta, ad sufficientiam eum evincere poterant? Ridebam quidem & ipse met Theologorum Giessensium nimiam, propter hanc tuam fauicibus hiantibus datam confessionem, ad canendum triumphum proclivitatem, quando autem rem oculis penitus inspiciebam, altiorique mentis indagine ponderabam, deplorabam casum tanti viri, oculis obversantem meis, inconsiderantiam tui, aperto ore talia verba fundentis; Tuum verò erit, inconsultò, & malè dictis veniam petere, vel melius interpretari: Auguror (fiat irritum augurium) te Eleazarum non permansurum; spes tamen mea non nihil fulcitur, quod *canem vetulum loris assuecere admodum sit difficile,* insigni insuper te pietate, quā de te ipso testaris præditum lubens cognoscam: *Inter Catholicos talem duco vitam, qualem nullus, nisi intuitu vitæ æternæ acquirendæ, quod testimonium, licet domesticum, nisi Pharisaicum (cucullo, quō superbis, & crucis, quas sponte exoptas, te non faciunt humiliorem, quandoquidem simulata hæc & externa humilitas, ex interna cordis arrogantia, originem trahens, cœlum sibi ut meritum polliceatur) præ se ferat, ut spiret justitiam, (eadem enim verba olim Phariseus, agit tibi gratias Domine, quod non sim sicut alij homines, ore tumido efferebat)* eatenus admitto, nec pietatem insignem octo horas quotidie precando insumentem, te labi permissuram puto. Sed quid ego à te informari amo, qui ipse labilis es, à tali, qui majoritatem


tatem autoritatis meæ magnitudini suæ præponi debere , ægrè fert ? erudiri cupiam Cardinalis à Capuccino ? Sed causam dixi : Tu interea , exigente id ratione officij , in dubio hærenti succurres , scrupulos adimes , nec quicquam moraberis . Quòd verò schedulâ tam exiguâ te accedendum judicaverim , scias , id non sine causa factum , ne scilicet tedium tibi crearem : Expertum itemque quòd schedulis ejusmodi , vel paulò prolixioribus totus ferè orbis Christianus , parùm firmo nunc stans pede moveatur , majorisque sint efficaciæ , ad pervertendos perversos , quàm tot grandia volumina , à meeum in finem , ante annos non ita multos , multo sudore , labore , vigiliis impensisque conscripta .

Vale Domine Valeriane , & sincerum hoc meum
de te judicium bone consule .



F I N I S.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750536-p0016-3


DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750536-p0017-9

DFG






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750536-p0019-4

DFG






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750536-p0021-1

DFG





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750536-p0023-2

DFG

131887



154887

ULB Halle
002 639 602


3



5b.

AB 154887





B.I.G.




26

MANES ROBERTI BELLARMINI

Polit. Cardinalis olim purpurati, &
Soc Jes. Theol. in Colloquio, novissimè à Valeriano Ma-
gno Capucino Monacho, cum D. Haberkorn & Theol.
Gießensibus Reinfelsæ habitò irritati, Valeriano
dira quævis imprecantur.

Audivit & vidit hosce Bellarmini Manes

JOHANNES HENRICUS SEIPIUS,
Gießâ Hassus.



Anno M. DC. LII.